

ROBERTI  
BELLARMINI  
EX SOCIETATE IESV,  
S. R. E. CARDINALIS  
ADMONITIO  
AD EPISCOPVM  
THEANENSEM NEPOTEM  
SVVM.

QVÆ NECESSARIA SINT  
*Episcopo qui verè salutem suam  
aeternam in tuto ponere ve-  
lit.*



*Cum gratta & Privilegio C. M. speciali.*

COLONIÆ,  
Sumptibus Bernardi Gualteri,

---

ANNO M D C X I K.





ROBERTI  
 BELLARMINI  
 EX SOCIETATE IESV.  
 S. R. E. CARDINALIS

*ADMONITIO*  
 AD EPISCOPVM  
 THEANENSEM NEPOTEM  
 suum.

*QVÆ NECESSARIA SINT*  
*Episcopo qui verè salutem suam*  
*aternali in tuto ponere vo-*  
*lit.*

**Q**UOD Saluator noster  
 ait, multos esse voca-  
 tos, & paucos electos,  
 & multos esse, qui in-  
 grediuntur viam la-  
 tam, quæ ducit ad perditionem, pau-  
 cos autem, qui viam angustam quæ  
 ducit ad vitam, inueniunt: Id in Epi-  
 scopis



scopis etiam locum habere videtur, cum S. Ioannes Chrysoſtom. hom. 3. in Acta Apostolorum dicat, paucos esse ex ordine Episcoporum qui saluentur. Etenim, inquit, si nouisses quod Episcopus debet omnium onera gestare, quod alijs irascentibus datur uenia; ipsi uero nequaquam: quod alijs peccantibus superest excusatio; ipsi uero minime: haudquaquam festinasses ad Primatum, haudquaquam accurrisses. Hic enim omnium linguis expostus est omnium iudicij obiectus, & sapientium & insipientium; curis perpetuis obrunditur, tum diurnis, tum nocturnis: multos habet quibus est iniussus, multos habet inuidentes, &c. Postea subiungit: Dic ratio hi si quis decem habet filios subditos, astidue cum ipso uiuentes, cogitur sine intermissione curam illorum agere: quid non patietur hic qui tot habet, non domesticos, sed obedientiam habentes in sua ipsorum potestate? &c. Et rursus: Quam multos cogitur offendere uolens nolens? quam multos obiurgare, uelit nolit? Non temere dico, sed ut affectus sum ac sentio. Non arbitror inter sacerdotes multos esse qui salui fiant, sed multos esse qui pereant. In causa est, quoniam res excelsum requirit animimum. Multas enim habet causas qua depellant ipsum a suis moribus, & innumeris oculis

oculis illi opus undique.

Non uides quam multas oportet res adesse Episcopo, ut sis appositus ad docendum, ut tolerans malorum, ut tenax sit ac fidelis in doctrina sermonis. Quanta hoc difficultatis. & quod alij peccant illi imputatur? Nihil dico praterca, si uel unus tantum decedat non initiatus, nonne totam ipsius subuertit salutem? Vnius enim anima perditio tantam habet iacturam, uti nulla ratio possit aestimare: etenim si unius anima salus tanti est, ut ob hanc filius Dei fieret homo, tantaque pateretur; perditio, cogita, quantam conciliabit poenam? Quod si quis ob hominem in hac uita perditum morte dignus est, quanto magis ille? &c. Et paulo post; Proinde si quis ad summum sacerdotium accesserit, uelut ad sollicitudinem & curam, nullus illud facile suscepserit. Nunc autem non aliter quam prophanos magistratus, & hanc affectamus dignitatem: nimirum ut honorificemur, & glorificemur apud homines, perdimur apud Deum.

Et ratio idem confirmat: quia nullum est officium periculosius, & quod maiorem uitae perfectionem requirat, quam officium Pontificale; ut scribit sanctus Augustinus. Perfectio enim paucorum est, & imperfectorum



8  
definitus est numerus Propterea aiebat  
iple Ep. 148. quæ est ad Valerium. Ante  
erania peto ut cogitet religiosa prudentia  
tua, nihil esse in hac vita, & maxime hoc  
tempore, facilius & latius, & hominib.  
acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut  
Diaconi officio, si persunctoriè atque adu-  
latoriè res agatur, sed nihil apud Deum mi-  
serius, & tristius, & danabilius. Item nihil  
esse in hac vita & maxime hoc tempore,  
difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi,  
Presbyteri aut Diaconi officio; sed apud  
Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo  
voster Imperator iubet. Quis autem iste sit  
modus nec à pueritia, nec ab adolescentia mea  
didici, & eo tempore quo discere coeperam,  
vis mihi facta est merito peccatorum mo-  
rorum. (Nam quid aliud existimem nescio)  
ut secundus locus gubernaculorum mihi  
traderetur, qui remum tenere non noue-  
ram, &c.

Et hinc erant lacryma illa, quas ma-  
fundere in ciuitate ordinationis mea tem-  
pore nonnulli fratres animaduertunt, &  
resciètes causas doloris mei quibus potuerunt  
sermonibus, qui omnino ad vulnus meum  
non pertinerent, tamen bono animo con-  
solati sunt. Sed multò amplius expertus  
sum quam putabam, non quia nouos ali-  
quos fluctus aut tempestates vidi, quas ante  
non

7  
non noheram, vel non audieram, vel  
non legeram, vel non cogitaueram,  
sed ad eas vitandas aut perferendas so-  
lertiam, & vires meas omnino non noue-  
ram, & alicuius momenti arbitrabar, &c.  
Et postea addit: Quid enim responsurus  
sum Domino Iudici, &c. Si ergo mihi di-  
cat: Serue nequam, si villa Ecclesia calum-  
niosum aliquem pateretur, cuius fructibus  
colligendis magna opera impenditur, ne-  
glecto agro quem rigauit sanguine meo, si  
quid agere pro ea posses apud iudicem terra  
nomine omnibus consentientibus, nonnullis  
etiam iubentibus & cogentibus, nonnullis  
si contra te iudicaretur etiam trans mare  
profiscisceris atque ne hoc modo, vel  
annuam, vel amplius absentiam tuam  
nulla querela renocaret, ne alius possideret  
terram, non anima sed corpori pauperum  
necessariam, quorum tamen famem, viti-  
arbores nec, multò facilius, mihi que gra-  
tius, si diligenter colerentur, explerent. Cur  
ergo ad discendam agriculturam meam  
vacationem temporis tibi defuisse cau-  
aris? Dic mihi quid respondeam? rogo te &c.

Quare si quis velit in tuto salu-  
tem suam collocare, & simul oport-  
teat eum Episcopali officio fungi, is  
omnino debet de octo cōtrouersijs,  
certam veritatem inquirere, & non



respicere, quid multi hoc tempore dicant, aut faciant, & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi, & nullâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate temporali propositâ, ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de summa rei cum de salute æterna tractatur, & facillimum est conscientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conscientia non remordente, ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.

### PRIMA CONTROVERSIA

EST,

*An Episcopus teneatur in Ecclesia sua residere. & non inde discedere, nisi ad tempus, ob causas in Concilio Trident. Sess. 24. Ca. 1 explicatas?*

**C**ONCILIVM sic habet. Cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesia, vel Reip. utilitas aliquos nonnî quam abesse postulent & exigant, decernit eadem

*eadem sacrosancta Synodus has legitima absentia causas, à beatissimo Romano Pontifice, antea Metropolitanò, vel eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitanò absentiam probare debet in scriptis esse approbadas, nisi cum absentia incidit propter aliquod munus & Reip. officium episcopatibus adiunctum: cuius quoniam causa sunt notoria & interdum repentina, nec eas quidem significari Metropolitanò necesse erit. Ad eundem tamen cum Concilio Provinciali spectabit, iudicare de licentijs, à se & à suffraganeo datis, & videre ne quis eo iure abutatur, & ut poenis canonicis errantes puniantur, &c.*

Iam qui veritatem, aut partem tutiorem quærit, perpendat quid de ea re sentiant D. Thomas, Caietanus, & alij.

Sanè D. Thomas, qu. 185. art. 5. sic respondet.

*Dicendum quod in qualibet obligatione præcipuè attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi ad exequendû pastorale officium propter subditorum salutem. Et ideo ubi subditorum salus exigit persona pastoris præsentiam, nõ debet pastor personaliter suam gregem deserere, neque propter aliquod commodû temporale, neque*



etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ouibus suis. Si vero subditorum saluti sufficienter in absentia pastoris per alium prouideri possit, tunc licet pastor, vel propter aliquod commodum Ecclesie, vel persona periculum corporaliter gregem deserere. Vnde August. dicit in Epistola ad Honoratum: Fugiant de ciuitate in ciuitatem serui Christi, quando eorum quisque à persecutoribus quaritur, ut ab aliis qui nõ ita quaruntur nõ deseratur Ecclesia. Cum autem omnium est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent. Si enim perniciosum est nauem deserere; quanto magis in fluctibus? ut dicit Nicol. Papa, & habetur 7. quæst. 1. &c.

Pastor nec nomen pastoris meretur, si non personaliter attendat suo gregi. Non enim quilibet ouium Dominus, sed ille tantum qui pascit suas, vocatur pastor. Alioquin principes habentes multos ouium greges, quos per alios pascunt, pastores ouium essent; quod falsum est. Episcopus autem est uere pastor, iuxta uerbum Domini ad Petrum.

trum: *Pasce oues meas.* Ad hoc dicitur quod Episcopus tenetur ex præcepto diuini iuris ad residendum personaliter in suo Episcopatu. Ad cuius euidenciam tria agenda sunt. Primo, monstrabitur quod hoc cadit sub præcepto diuino. Secundo, ex qualitate præcepti redditur ratio contingentium. Tercio, satisfiet obiectis. quoad primum: Ad illud tenetur Episcopus sub præcepto diuino, quod necessarium est ad finem Episcopi cui est cura animarum: sed residentia Episcopi est necessaria ad curam animarum. Ergo Episcopus tenetur ad personaliter residendum in suo Episcopatu. Maior propositio est per se nota, & patet inductiuè. Constat namque quod omnis qui simpliciter tenetur ad aliquid agendum, tenetur ad medium necessarium ad illam actionem. Dixi autem simpliciter, ad distinctionem eorum qui tenentur ex suppositione, v.g. famulus tenetur ad sequendum Dominum si prouidetur ei de equo & expensis. Milites aliqui tenentur ad pugnandum si prouide-



tur eis de armis, &c. Episcopus autē non ex suppositione, sed absolute & simpliciter tenetur ad curam animarum, & propterea tenetur ad medium sibi possibile, necessarium ad curam animarum. Nec solum tenetur, sed eadem necessitate quā tenetur ad finem, tenetur ad medium: ex quo medium est ita necessarium, quod sine illo non potest finē consequi. Et quia constat quod de necessitate præcepti diuini iuris tenetur Episcopus ad curam animarum, consequens est, quod etiam de necessitate præcepti teneatur ad medium necessarium ad curā animarum: & sic patet maior. Minor autem, scilicet quod Residentia personalis Episcopi est necessaria ad curam animarum, probatur: Episcopus tenetur ad curam animarum median-  
tibus his actibus personalibus, scilicet doctrinā, ministracione sacramentorum, consecrationibus, visitatione, custodia ac diligentia. Ergo Residentia personalis Episcopi est necessaria ad curam animarum. Consequentia ista est clarissima. Antecedens quoad singulas eius partes probatur.  
Quoad

Quoad doctrinam, patet ex auctoritate Apostoli: *Oportet Episcopum esse Doctorem*; & non dicit: *Oportet Episcopum habere Doctorem*, & in ordinatione Episcopi dicitur: *Vade, prædica populo Dei*; & non dicitur: *mitte ad prædicandum* &c.

Quoad visitationem, custodiam ac vigilantiam, patet ex eo, quod nisi ad hæc personaliter teneretur, non esset ipse pastor custodiens gregem, & vigilans super eo, ac visitans singulas oues vt cuique tribuat quod conuenit, sed vt dictum est, esset dominus ouium, habens pastorem ouium, illum scilicet mercenarium cui committit, quod vigilet, custodiat & visitet. Et tamen liquido constat Episcopos ipsos esse pastores ouium Christi, & ad illos spectant actus sex Ezech. ca. 34. à Domino expressi, scilicet consolidare infirmum, sanare agrotum, alligare confractum, reducere abiectum, requirere perditum, custodire pingue ac forte. Ad illos denique in Petro dictum est: *Pasce, non, Pascere, fac oues meas*. &c.



Quibus subscribit Dominicus Soto De Iustitia & Iure lib. 10. Quæst. 3. his verbis:

*Indubiè tenenda est pars affirmatiua quam hic expresse D Thom in priori conclusione affirmat. Quandoquidem, ait, propter nullum imminens periculum personale licere Episcopo Ecclesiam suam tempore necessitatis deserere.* Idque confirmat testimonio Christi, quod ideo in sensu præceptorio intelligit, sic scilicet quod nemo sit bonus pastor bonitate quæ ad gratiam, amicitiamque dei retinendam necessaria est, nisi ubicumque necessitatis casus occurrerit, cum periculo vitæ, gregi suo, favore & auxilio præsens usque ad mortem adfuerit. Idque August. supra ad Honoratum citatus asseueranter enuntiat dicens, quod instante persecutione, Episcopus non potest fugere, sed exemplo Christi debet animam pro ouibus suis ponere. Verbum namque, (non potest) necessitatem præcepti significat. Vnde S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 5. ad 3. argumentum, ubi ait non semper charitatis necessitatem obligare hominem ad offerendum vitam pro amico.

amico: casum excipit quo tenetur eius salutem providere, ad officium potissimè Episcopi alludens. A hac ergo veritate de qua nunquam ambigere quinit, peregregium argumentum sumitur, residentiam esse de iure diuino. Nam si non esset nisi de iure positivo; cum pontificia præcepta, ut quadragesimale ieiunium, & festi observatio, ut lib. 1. scriptum reliquimus, non consueuerint usque ad mortis periculum obligare, non facile persuaderet teneri Episcopum in periculo mortis residere, eo potissimum quod, ut supra visum est, prædicti auctores verbum Christi de se proprie assertum arbitrantur, & tamen si illud verbum neges vim habere præcepti, nihil relinquis, unde inferatur teneri Episcopum tempore necessitatis vitam pro suo grege ponere, que tamen omnium est generalis confessio, &c..

Quare, etsi Caietan. impræsentiarum easdem causas sub tribus generibus complectatur, quæ sunt, necessitas impedimenti, qualitas negotij, & conditio personæ; ad commodum tamen Ecclesiæ sunt omnes referenda.

Prop-



Propter ignauiam & perniciosissimam, Episcoporum aliorumque pastorum incuriam cuncta sunt hæreticis plena, qui sacramenta omnia execrantur, blasphemisque conspurcant. vnde sequitur: *Et ecce proiciam à vobis brachium seu armum, quod est robur dignitatis vestrae, & regiminis baculum. Ac demum dispergam super vultum vestrum ventriculum solemnitatum vestrarum.*

Simile est apud alium Prophetam, nempe Zachar. ij. *O pastor & idolum derelinquens gregem!* Ad vinum profectò exprimit naturam ingeniumque pastoris derelipientis gregem. Est enim nil aliud quam pastoris idolum: nempe imaginem tantum præ se foris gerens, & personam pastoris, vt sculptus lapis; re tamen ipsa carens. *Gladus super brachium eius,* hoc est super regiminis potestatem. *& super dextrum oculum eius,* puta super rectum sensum & iudicium. Nam postquam sua libido eos coegit Ecclesie gubernaculum deserere, illicò eis suadere incipit non ea obligatione teneri quam sapiens docet, quod est oculum dextrum eis eruere. Vtinam ille qui lux

vedis

venit in mundum, quotquot super candelabrum Ecclesie suæ erexit, sic illuminet & inflammet, vt iura sui muneris tum clarè cognoscant, tum & charitatis ardore moribus exhibeant, &c.

Ex quibus omnibus facilè quiuis intelliget, hoc tempore plurimos Episcopos, in maximo periculo salutis amittendæ versari. Vt enim auctores citati euidenter probant, Episcopus non potest deserere gregem, nisi ad tempus ob vrgentissimas causas, quia debet per se pascere, & custodire gregem, & super ipsum inuigilare, & rationem reddere Deo de singulis suis subditis qui pereunt. Vide. & attentissimè lege Concilium Tridentinum Sess. 3. c. 1. de Reformatione: nec solum attentissimè lege, quæ Spiritus sanctus per Concilium docuit, sed cogita, & recogita singula verba, causas ibi redditas, poenas appositas, & nisi penitus excœcatum cor habeas; intelliges Residentiam omnino esse necessariam. Concilium sic habet:

Sacro sancta synodus eiusdem præfiden



fidentibus Apostolicæ sedis legatis  
 ad restituendam collapsam admodum  
 Ecclesiasticam disciplinam, deprava-  
 tosque in clero & populo Christia-  
 no mores emendandos se accingere  
 volens, ab ijs qui maioribus Ecclesijs  
 præsunt, initium censuit esse sume-  
 dum. Integritas enim præsentium  
 salus est subditorum. Confidens ita-  
 que per Domini ac Dei nostri mise-  
 ricordiam, prouidamque ipsius Dei  
 in terris Vicarij solertiam omnino  
 futurum, vt ad Ecclesiarum regimen,  
 onus quippe angelicis humeris for-  
 midandum, qui maximè digni fue-  
 rint, quorumcunque prior vita ac  
 omnis ætas à puerilibus exordijs vs-  
 que ad perfectiores annos per disci-  
 plinæ stipendia Ecclesiastica lauda-  
 biliter acta testimonium præbeat, se-  
 cundum venerabiles beatorum Pa-  
 trum sanctiones assumantur. Omnes  
 Patriarchalibus, Primatialibus, Me-  
 tropolitanis, & Cathedralibus Ec-  
 clesijs quibuscunque, quouis nomine  
 ac titulo præfectos monet, ac mon-  
 tos esse vult, vt attendentes sibi & v-  
 niuerso gregi, in quo Spiritus san-  
 ctus

ctus posuit eos regere Ecclesiam Dei  
 quam acquisiuit sanguine suo, vigi-  
 lent, sicut Apostolus præcipit, in om-  
 nibus laborét, & ministeriū suū im-  
 pleant. Implere autè illud se nequa-  
 quā posse sciāt, si greges sibi commis-  
 sos mercenariorum more deterant,  
 atque ouium suarum, quarum san-  
 guis de eorum manibus à supremo  
 iudice requirendus, custodiæ minime  
 incumbant: cum certissimum sit nõ  
 admitti pastoris excusationem si  
 lupus oues comedit, & pastor nescit.  
 Ac nihilominus quia nonnulli, quod  
 vehementer dolendum est, hoc tem-  
 pore reperiuntur, qui propriæ salu-  
 tis immemores, terrenaque coelesti-  
 bus, ac diuinis humana præferen-  
 tes, in diuersis curijs vagantur, aut in  
 negotiorum temporalium sollicitu-  
 dine, ouili derelicto, atque ouium  
 sibi commissarum cura neglecta, se  
 detinent occupatos: Placuit sacro-  
 sanctæ synodo, antiquos canones qui  
 temporum atque hominum iniuria  
 penè in destitutiōe abierunt, aduer-  
 sus non residentes promulgatos, in-  
 nouare, quemadmodum virtute præ-  
 sentis decreti innouat, ac vltèrius  
 pro



pro firmiori eorum residentia, & reformandis in Ecclesia moribus, in hunc qui sequitur, modum statuere atque sancire: Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana seu Cathedrali Ecclesia sibi quocumque titulo, causâ, nomine seu iure commissa, quacumque ille dignitate, gradu, & præ eminentia præfulgeat, legitimo impedimento seu iustis & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam diocesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum vnius anni, fabricæ Ecclesiæ, pauperibus loci, per superiorē Ecclesiasticum applicandorum, poenam ipso iure incurrat. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseverauerit, aliam partē quartam fructuum similiter applicandā eo ipso amittat. Crescente verò contumacia, vt seueriori sacrorum canonum censuræ subijciatur, Metropolitanos suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum verò absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, poena interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda infra tres

tres menses per literas seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur; qui in ipsos absentes prout cuiusque maior aut minor contumacia exegerit, suprema sedis autoritate animaduertere, & Ecclesiis ipsis de pastoribus vtilioribus providere poterit, sicut in Domino nouerit salubriter expedire.

**ALTERA CONTROVERSIA**  
est de officio Episcopi,

*An videlicet teneatur per se predicare?*

**E**T quidem consuetudo communis inualuit, vt per alios prædiceret; sed veritas, aut certè securior sententia est, quod per se prædicare teneatur. Id enim etiam nunc docet Episcopalis consecratio in qua dicitur: *Accipe Euangelium, vade, prædica populo tibi commissio.* Idem docet Concilium Tridentinum nostro tempore celebratum. *sess. 5. c. 24.* cuius hæc verba sunt.

*Quia vero Christiana Reip. non minus necessaria est prædicatio Euangelij quam laico.*



lectio, hoc est precipuum Episcoporum munus, statuit & decreuit eadem sancta Synodus omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos, teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Iesu Christi Euangelium Si verò contigerit Episcopos & alios prædictos, legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis Cõcilij, viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi prædicationis officium salubriter exequendum; si quis autem hoc adimplere contempserit, districtè subiacet ultioni. Archipresbyteri quoque plebani, &c.

Idem docet nomen Pastoris. Dixit enim Dominus Petro, & in eo omnibus Episcopis, *Pasco oves meas*, & non dixit, cura vt sint qui pascant oves: & idem Dominus explicans officium Pastoris Ioan. 10. dixit: *Oves pastorem sequuntur & vocem eius audiunt.* Sed illa S. Pauli Actor. 20. præcipuè notanda sunt; *Contestor vos hodiernâ die. quia mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi quo minus annuncietem*

omne consilium Dei vobis. Et paulo ante dixit: *Vos scitis quoniam nihil subtraxerim vobis vilium, quo minus annunciarer vobis & docerem publice, & per domos. Quibus Apostoli verbis cõsonant verba Ezechielis Prophetæ. cap. 33. Et tu fili hominis speculatorem dedi te domui Israhel: si me dicente ad impium, morte morieris impie, non fueris locutus, vt se custodiat impius à via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manus tua requiram.*

### TERTIA CONTROVERSA, est de perfectione vitæ Christianæ.

*An Episcopus teneatur esse perfectus.*

**E**T quod teneatur, docent omnes scriptores, ac præsertim S. Thom. qui comparans Religiosos cum Episcopis dicit, maiorem perfectionem requiri in Episcopis quam in Religiosis. Ipsum audiamus; sic enim 2. 2. q. 184. art. 7. respondet.

Dices.



Dicendum quod sicut Augusti dicit li-  
bro 12. cap. 6. super Genesim ad litteram:  
Semper agens prastantius est patiente; in  
genere autem perfectionis secundum Dio-  
nyf. Episcopi se habent ut perfectiores, reli-  
giosi autem ut perfecti: Quorum unum  
pertinet ad actionem, alterum autem ad  
passionem: unde manifestum est quod sta-  
tus perfectionis potior est in Episcopo quam  
in Religiosis.

Quod confirmatur ex verbis Apo-  
stoli ad Titum 2. In omnibus te ipsum  
præbe exemplum bonorum, & ex verbis  
Domini Matth. 5. Vos estis sal terra, &  
lux mundi. Hæc igitur est veritas, sed  
non omnes capiunt verbum istud,  
Religiosi sunt in statu perfectionis  
acquirendæ, quia faciunt tria vota,  
paupertatis, contra affectum diuitia-  
rum; castitatis, contra concupiscen-  
tiam carnis; obedientiæ, contra su-  
perbiam vitæ. Episcopus igitur, qui  
est in statu perfectionis adeptus, tene-  
tur esse perfectus, id est, ardentissimus  
charitate Dei, & proximi præditus,  
ita ut diuitias Ecclesiæ suæ non suas  
esse existimet, & non habeat ad pos-  
sidendum tamquam proprias, sed ad  
dispensandum, ut alienas. Item tene-  
tur

tur esse perfectus in charitate Dei,  
& proximi circa castitatē, ut Angeli-  
ca puritate Deo ministret, & viros ac  
mulieres quibus præest, verè diligit  
ut filios, & filias, & nullā unquā su-  
spicionē incontinentiæ illis tribuat:  
proinde nō habere domi personā vl-  
lam, vel ob adolescentiā, vel ob or-  
natum, ad quam carnali affectione  
propensus credatur: foris autem, cum  
nulla unquam muliere sine testibus  
loquatur, atque id potissimum erga  
sanctimoniales obseruet: incredibile  
enim est, quā contēptibilis redda-  
tur Episcopus, si aut verbis, aut factis  
vllum signū incontinentiæ dederit.  
Denique perfectus esse debet circa  
humilitatē & obedientiā Dei, & su-  
periorū mandata, ac præcipuè erga  
illud à sancto Ioann. Euangelist. in 1.  
Epistola promulgatū: *debemus pro fra-  
tribus animas ponere, ac multo magis, di-  
uitias, quietem, delicias & cōmoda omnia.*  
Hæc perfectio excludit ludos, vena-  
tiones, lectionem librorum vanorū,  
occupationes temporales, & alia id  
genus omnia: proinde munus Epi-  
scopi est vita laboriosissima, sed ma-  
gnam habet remunerationem.



QUARTA CONTROVERSA  
est de Ordinatione Clericorum.

*An liceat, vel expediat multos ordinare.*

**I**N hac re multi falluntur, qui existimant multiplicandum esse clericum, & ideo sine magno delictu manus imponunt. Optantū quidem est ut multi clericatu digni inueniantur, sed indignos promouere est Ecclesiam euertere. Ideo Beatus Apostolus clamat: *Ne nini cito manus imposueris.* 1. Tim. 5. Et Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 2. & 10. iubet ut nullus ordinetur ad titulum patrimonij, nisi pro necessitate, vel utilitate Ecclesie. Sic enim habet.

*Cum nullus debeat ordinari, qui in officio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, S. Synodus vestigijs sexti canonis Concilij Chalcedonensis inhærendo, statuit ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesie aut pio loco, pro cuius necessitate assumitur, aut utilitate, non ascribitur ubi suis fungatur muneribus*  
Proh.

&c.

Proinde maximus est abusus ordinare quoslibet ad titulum patrimonij. Plurimi enim ordinari cupiunt pro utilitate sua, non Ecclesie, & de celebratione Missæ faciunt artem de pane lucrando. Vnde sacerdotium contemptibile redditur, & Ecclesia scandalis scæter.

QUINTA CONTROVERSA

*De multiplicata beneficiorum.*

**E**T quidem sacri Canones horrent multiplicatam beneficiorum, ut patet Dist. 86. Can. Singula. Alii Canon:

*Singula Ecclesiastica iuris officia singulis quibusque personis singulatum committi iubemus.* Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita in Ecclesie corpore, secundū veridicā Pauli, in vno eodemq; spiritu alij conferedū est hoc officium, alij committendum est illud, neque vni quantumlibet exercitæ personæ, vno tempore quarum rerum officia committenda sunt, quia si totum corpus est oculus, vbi auditus sicut

b 2

enim



Enim varietas membrorum per diuersa officia, & robur corporis seruat, & pulchritudinem repræsentat, ita varietas personarum per diuersa nihilominus officia distributa, & fortitudinem & venustatē Sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est vt in corpore humano alterum membrorum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium simulque turpissimū, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa.

Et Canon, *Clericus*, 21. q. 1. hanc adfert rationem: Aut enim vnum odio habebit & alterum diligeret: aut vnum sustinebit & alterum contemnet. Nouissimè verò Concil. Trident. sess. 7. cap. 2. districtissimè id præcipit.

*Nemo, inquit, quacumque etiam dignitate, gradu aut præcipientia præfulgens, plures Metropolitanas seu Cathedralis Ecclesias in titulū siue commendam, aut alio quouis nomine contra sacrarum canonum instituta recipere & simul retinere præsumat; cum valdè foelix sit ille contentus, cui vnā Ecclesiam bene ac fructuose, & cum animarum sibi commissa-*

missarum salute regere contigerit. Qui autem plures Ecclesias contra præsentis decreti tenorem nunc detinent, vnā quam maluerint retentā, reliquas infra sex menses, si ad liberam Sedis Apostolicæ dispositionem pertineant, aliās infra annum dimittere teneantur: alioquin Ecclesiæ ipsæ, vltimo obtenta duntaxat excepta, eo ipso vacare censeantur. Quod & idem repetit cap. 13. & 17. sess. 24.

Sed quia multi multa beneficia ex dispensatione Pontificia possident: sciendum est, Pontificiam dispensationem quando non adest iusta causa dispensandi, valere in foro fori, sed non in foro poli, vt aperrè docet S. Thomas quodlibeto 9. art. 15. vbi postquam retulisset illa verba S. Bernardi: *Qui non vnus sed plures est in beneficijs: non vnus sed plures erit in supplicijs.* postea hæc addit:

*Habere plures præbendas plurimas in se inordinationes continet: vt, quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesijs deseruire, in quibus est præbendatus, cum præbende videantur esse*



30  
ordinata quasi quædam stipèdia Deo  
ibidem ministratum, sequitur etiam  
diminutio cultus diuini, dum vnus  
loco plurium instituitur, sequitur  
etiam in aliquibus defraudatio vo-  
luntatum testatorum, qui ad hoc ali-  
qua bona contulerunt, vt certus nu-  
merus Deo deseruientium ibi esset;  
sequitur etiam in a qualitas, dum v-  
nus pluribus beneficijs abundat, &  
alijs nec vnum habere potest, & mul-  
ta alia, quæ de facili patent &c. Et  
paulo post.

Alia tamen circumstantia possunt  
superuenire ita honestantes actum,  
quod prædictæ inordinationes tota-  
liter euacuantur, vt puta, si sit neces-  
sitas in pluribus Ecclesijs eius obse-  
quio, & possit plus seruire Ecclesiæ,  
vel tantundem absens, quam alius  
præsens, & si quæ alia sunt huiusmo-  
di, & tunc istis conditionibus super-  
uenientibus cum recta intentione, nõ  
erit peccatum etiam nulla dispen-  
satione interueniente, si consideretur  
tantum ius naturale, quia dispensatio  
ad ius naturale non pertinet, sed so-  
lum ad posituum, &c.

51

31

Si autem antiqua iura sunt per con-  
suetudinem abrogata, tunc prædictis  
circumstantijs superuenientibus e-  
tiam sine dispensatione licitum est  
plures præbendas habere: sine qui-  
bus circumstantijs licitum non est,  
quantumcumque dispensatio inter-  
ueniat, eo quòd dispensatio humana  
non aufert ligamen iuris naturalis,  
sed solū ligamen iuris positui quod  
per hominem statuitur, & per homi-  
nem dispensari potest.

Idem docet Dominicus à Soto li.  
3. de Iustitia & iure. quæ. 6. art. 3. cuius  
hæc verba sunt:

*Habere plures præbendas. si nude specte-  
tur, statim sonat quasdam ordinis peruer-  
siones. Primum quia ratio docet vt v-  
nicuique ministerio suus propriè de-  
putetur minister, aliàs vnus plurium  
personas induit. 2. Cultus diuinus de-  
trimentum patitur. 3. Cùm bona  
hæc, vt diximus, stipendia sint  
Ecclesiarum, siro defraudantur iu-  
re. & cætera. 4. Inde sequitur iusti-  
tiæ distributiue præuaricatio, vide-  
licet vt multi digni egeant, alij verò*

b

abun-



abundent. 5. Esca & fomentum ambitionis inde subministratur. Nam interdictâ præbendarum accumulatione sacerdotes non tam auidè strigent atque ambirent bonis Ecclesiæ ditari. & 6. Id in causa est vt illa literarum studia neglecta iaceant: Vtrinque etenim spes bonorum debilitatur; scilicet & quod meritorum ratio non habetur, & quod auida ditiorum avaritia impedimento est, ne inopes promoueantur. Quin verò 7. & transgressio quædã est illius Paulini præcepti, *Vnusquisque in ea vocatione qua vocatus est maneat.* Atque illius præterea ad Roman. 12. *Sicut in uno corpore multa membra habemus.* Quod Gregorius ad hoc citauit. 89. dist. cap. *Singula*, &c.

Huiusmodi beneficiorum coactiones, siue per dispensationem fiunt siue secus, carere non possunt culpa etiam quandoque mortali, atque scandalo, in Ecclesiarum detrimentum, idq; potissimè vbi nimis accumulatur, & personis deputatur indignis. Cõclusio hæc inter probandã conclusionem 2. consistit. Iam enim nulla spe-

spectantur aut desiderantur merita, sed perinde, quin etiam turpius atq; impudentius quàm secularia & prophana ambiuntur, cambiuntur, veniunt, hæreditantur, regressantur, prophanantur ac dilapidantur. 7. Cõclusio. Paroeciã & id genus sacerdotia quæ in animarum curam instituta sunt, vsque adeò non possunt absque legitima dispensatione ab eadem obtineri persona, vt si legitima non fuerit, nequeant tutò in foro conscientie apud Deum possideri. Non solum sententia est D. Thom. Quodlibeto citato, atque Adriani de pluralitate Benef. verum & sacri Canones id insinuant, eiusque interpretes aperte pronuntiant, quin verò Doctores conclusionem non moderantur, vt de illis solis intelligatur, sed de cunctis, quod verissimum est, quæ dispensatione indigent vt possideantur. Est tamen enormitas turpior in his quæ curã habet animarum. Itaque & Papa sine legitima causa dispensans, grauiter delinquit, & eius delictum non liberat ambientem, obtinentem, & retinentem à culpa, &c.



Nam etsi iura supra citata plenariam ei tribuant potestatem dispensandi, id tamen intelligunt, quia non habet superiorem in terra à quo possit iudicari. Mittimus Concilium in causa heresis: attamen apud Deum exactissime respondere tenetur, si fidem in dispensatione defregerit. Ratio ergo conclusionis est hæc: sacerdotia quæ curam habent annexam, rectè nequeunt administrari sine præsentia. Tanta est vigilantia, quæ animabus curandis ac prospiciendis necessaria est. Residere autem simul nemo potest in ecclesiis pluribus. Ergo sine urgentissima causa eadè que ecclesiæ necessaria non potest citra atrocem culpam super hoc dispensari. Sed ait fortè ille cum quo dispensatum est; Papa dispensauit, ipse sibi viderit, ego immunis sum. Hic tamen canillus securos multos reddit, tutum verò neminem, quoniam Papa non est Dominus, vt idèdè dictum est, sed dispensator, ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, & qui ea vitur, eadè semper irretitur iniquitate.

Idem

Idem quoque Panormitanus in C. Dudum. 2. de Electione his verbis:

Nota 5. quod detinens plura beneficia minus canonicè, incidit in multa vitia, in transgressionis notã & infamiam, saltem infamia canonica, & quæ sit ista infamia canonica, & in quo differat à civili, vide quod dixi in cap. testimonium. de testibus. 1. incidit in cupiditatis vitium, quod maximum est. Vnde impedit quem promoueri ad dignitates. Nam cupidus de facili deuiat à vero, in cap. virum 47. dist. 8. in cap. 19. in principio illius dist. vbi dicitur quod auctoritate Apostoli cupidi prohibentur promoueri, &c. 3. Committit furtum: nec simplex furtum, immo cum sacrilegio potest dici furtum peccatum, id est furtum de re publica, quod est grauius, &c. Et N. 26.

Nota verbum quod dispensatus etiam per papam circa pluralitatem istorum beneficiorum sine causa, etiam si sit tutus quoad Ecclesiam militantem, non tamen quoad triumphantem, & sic non videtur dispensatio quoad Deum &c. Idèdè denique docet Adrianus in quest.

b 6

de



de restitutione dub. de Pluralitate prae-  
 darum, Io. Maior in 4. dist. 24. quest. 12. 13.  
 & 14. Io. Andreas & Hostiensis in 6. Du-  
 rum supra citato. Vide Dionysium Car-  
 thusianum libro contra multiplicita-  
 tem beneficiorum, & Thomam Can-  
 tipratanum lib. 1. de Proprietatibus  
 apum, cap. 19. ubi refert determinati-  
 onem de hac re factam Parisijs anno  
 1238. à plurimis doctissimis Theolo-  
 gis; inter quos probabile est fuisse S.  
 Thomam & S. Bonaventuram. Summa  
 determinationis fuit; damnabile esse  
 plura beneficia possidere.

**S**EXTA CONTROVERSIA  
 De modo agendi cum Principibus  
 saeculi, in tuenda Ecclesia-  
 stica libertate.

**H**AEC enim videtur hoc tem-  
 pore esse lapis offensionis, &  
 petra scandali, & valde diffi-  
 cile est sic eam defendere; ut indig-  
 nationem eorum non incurramus,  
 vel sic eam negligere ut non incur-  
 ramus offensionem Dei, & eius vica-  
 rij, Duo in re tam ardua mihi occur-  
 runt.

runt. Primum, ut nihil temerè & si-  
 ne maturo consilio agamus. Et si no-  
 bis non adsint in praesentia viri peri-  
 ti, quorum consilio fidere possimus,  
 scribamus si tempus patitur ad absen-  
 tes; alterum, ut sic vivamus, ut intel-  
 ligant Principes vel Principum ad-  
 ministri, nos non quærere occasiones  
 cum illis rixandi, sed solo Dei timo-  
 re, & honore duci, ut libertatem Ec-  
 clesiae defendamus, & alioqui eorum  
 amicitiam optare, & magnificare, &  
 reuera conemur officijs, & beneficijs.  
 amicitiam illorum diligenter cõser-  
 uare, & nutrire: multa enim Princi-  
 pes saeculi amicis Episcopis cõcedunt,  
 quæ non concederent ijs, quos aduer-  
 sarios sibi esse sciunt, aut credunt.

**S**EPTIMA, DE MODO A-  
 gendi cum consanguineis. & affi-  
 nibus.

**V**idetur enim vitium esse com-  
 mune viris Ecclesiasticis, ut  
 nimio amore prosequantur af-  
 fines, & consanguineos; cum tamè ex  
 diuino iudicio saepe accidat, ut consa-  
 guinei



affines Ecclesiasticorum, quō magis locupletati & impingnari relinquuntur, eō magis obfuscentur benefactorū, & eō citius profūdāt bona ipsorū. Seruanda est igitur accuratissimē regula facti Concilij Tridentini, sess. 25. et. cū hęc sunt verba. Omnino eis (Episcopis) interdicit, ne ex redditibus Ecclesie consanguineos familiaresve suos auerere studeant: cum & Apostolorum canones prohibeant. Neres Ecclesiasticas, quę Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, ijs ut pauperibus distribuant. Quam regulam iam olim S. Augustinus exēplo suo confirmavit, sic enim scribit Polidius in eius vita prope finem: nec suos consanguineos in sua vita & morte more vulgi trahant, quibus dum auxilium superesset, id si opus fuit, quod & ceteris eorum rogauit, non ut diuitias haberent, sed ut aut non egerent, aut minus egerent. dem ante S. Augustinum docuit S. Ambrosius li. 1. de Officijs cap. 30. Est etiam, inquit, illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias si egerere cognoscas: Non tamen ut illi diuitiores fieri velint, ex eo quod tu posses conferre pauperibus, neque enim propterea te Domino dica-

si, ut tuos diuites facias, ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras.

OCTAVA ET VLTIMA EST  
de redditibus Ecclesiasticis in quos  
vltus expendi debeant.

**N**on disputo quæstionem illā, an Prælati sint verē domini reddituum Ecclesiasticorū, & an teneantur restituere quę malē expenderunt: Parum enim refert, utrū Prælati damnetur ad inferos, quia peccauit contra iustitiam, an quia peccauit contra charitatem, nō benē distribuendo facultates suas: solum quæro in quos vltus debeat expendere suas Ecclesiasticas facultates, ut non amittat vitam æternam. Et quidem veteres patres valde rigidi erāt: sanctus enim Hieronymus in Epist. ad Nepotianum scribit clericum qui habuerit partem in terra, non futurum partem Domini, nec Dominum partem eius: & sequentibus docet, Episcopum non posse viuere ex bonis Ecclesie, si habuerit patrimonium nisi fortē patrimonium suū Ecclesie donauerit.



*Expedi facultates Ecclesia possideri, & amore perfectionis proprias contineri: non enim propria sunt sed communes Ecclesia facultates: & ideo quisquis omnibus quæ habuit dimissis aut venditis fit rei suæ contempitor; cum præpositus fuerit factus Ecclesiæ, omnium quæ habet Ecclesia, efficitur dispensator, &c.*

Quod habet Ecclesia cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec ali quid inde eis qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare: quando nihil aliud sit habentibus dare quàm perdere.

Illi quoque qui vel idonei nil quidem sibi dari velut debitum possunt, sed tamen Ecclesiæ sumptibus viuunt, non est meum dicere quali peccato cibos pauperum præsumendos suscipiant, qui Ecclesiam quam iuuare de propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insuper grauant, &c. Et paulo post.

Dura sunt quæ dico, nec ego diffiteor: Dura sunt: sed obseruare nolentibus, &c. Nam quæro quid eorum sit quæ dixi, difficile; ut homo, id quod opus non habet, ab Ecclesia non accipiat, an ut quod habet, sine causa contemnat: Si propter hoc non vult sua relinquere ut habeat unde viuatur.

ut quid accipit unde ratione reddat: ut quid de peccatis alienis sua multiplicat. *Es cap. 2.*

Itaque sacerdos cui dispensationis cura commissæ est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit populo dispensanda & fideliter dispensat accepta, qui omnia sua aut parentibus relinquit, aut pauperibus distribuit, aut Ecclesiæ rebus adiungit, & se in numero pauperum paupertatis amore constituit; ita ut unde pauperibus subministrat, inde & ipse tamquam pauper voluntarius viuatur.

Sanctus Bernardus in declaratione super illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia*, adhuc seuerius, & rigidius loquitur. Sed scholastici doctores mitiorem sententiam sunt sequuti. S. enim Thomas in 2. 2. q. 185. ar. 7. distinguit de bonis Ecclesiasticis: alicubi enim sunt distinctæ portiones: Episcopi, Clerici, Ecclesiæ materialis, & pauperum: alicubi non sunt distinctæ, sed fidei Episcopi permittitur, ut ex redditibus Ecclesiasticis partem distribuatur clericis, partem pauperibus,



bus, partem insumat in restauratione  
Ecclesie materialis, partem sibi re-  
feruet ad modicam sustentationem  
suam. Certum est enim ad hos om-  
nes fines donata fuisse Deo bona Ec-  
clesiastica. Et si quidem portiones di-  
stinctae sunt: nulla dubitatio esse po-  
test quin Episcopi sola sua portione  
contenti esse debeant. Si vero distin-  
ctae non sint, ut in plerisque locis ac-  
cidit, certum est peccare mortaliter  
eos Episcopos, qui non sunt contenti  
frugali mensa, & tenui suppellectili,  
& reliqua non insunt in repara-  
tionem Ecclesie, & usum pauperum.  
Sed placet ipsum sanctum audire. Sic  
ergo responderet:

*Dicendum quod aliter est de propriis  
bonis quae Episcopi possidere possunt, &  
de bonis Ecclesiasticis. nam propriorum  
honorum dominium habent. Unde ex  
ipsa rerum conditione non obligantur ut  
eas aliis conferant, sed possunt eas vel sibi  
retinere, vel pro libitu etiam aliis largiri.  
Possunt tamen in earum dispensati-  
one peccare, vel propter inordinati-  
onem, affectus per quam contingit,  
vel quod sibi plura conferant, quam  
oporteat, vel alijs etiam non subue-*

niant secundum quod requirit debitu  
charitatis. Non tamen tenentur ad resti-  
tutionem, quia huiusmodi res sunt eorum  
dominio deputatae, sed Ecclesiastico-  
rum bonorum sunt dispensatores vel pro-  
curatores. Dicit enim Aug. ad Bonifa-  
cium. *Si priuatum possidemus quod nobis suffi-  
ciat, non sunt illa nostra; sed pauperum, quorum  
procuracionem quodammodo gerimus non pro-  
prietatem nobis usurpatione damabili vendi-  
camus.* Ad dispensatorem autem requiri-  
tur bona fides secundum illud 1. ad Cor.  
4. *Hic in quaeritur inter dispensatores ut fi-  
delis quis inueniatur.* sunt autem bona non  
solum in usus pauperum, sed etiam ad cultum  
diuinum & necessitates ministrorum ex-  
pendenda. Unde dicitur 12. q. 2. de redi-  
tibus Ecclesie vel oblatione fidelium:  
*Sola Episcopo ex his una portio mittatur,  
cetera Ecclesiasticis fabricis & erogationi  
pauperum profutura a Presbytero sub peri-  
culo sui ordinis ministrantur, ultima cler-  
icis pro singulorum meritis diuidatur.* Si  
ergo distincta sint bona quae debent in  
usum Episcopi cedere, ab his quae sunt  
pauperibus & ministris & cultui Ec-  
clesie eroganda, & aliquid sibi re-  
tinuerit Episcopus de his quae sunt  
pauperibus eroganda, vel etiam in  
usum ministrorum, aut in cultum  
diui-



diuinum expendenda, non est dubium quod contra fidem dispensationis agit & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur: de his autem quæ sunt specialiter suo vsui deputata, videtur esse eadem ratio quæ est de proprijs bonis, scilicet propter immoderatum affectum & vsum, peccet quidem, si immoderatè sibi recineat, & alijs non subueniat, sicut requirit debitum charitatis. Si verò non sunt prædicta bona distincta, eorum distributio fidei eius committitur: & si quidem in modico deficiat vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud quod fieri oportet. Si verò sit multus excessus, non potest latere: vnde videtur bonæ fidei repugnare, & ideo non est absque peccato mortali: dicitur enim *Matthai 24. Quod si dixerit malus seruus in corde suo, Moriamur, facit Dominus meus venire, quod pertinet ad diuini iudicij contemptum, & capere percutere conseruos suos, quod pertinet ad superbiam, manducet autem & bibat cum ebriosis, quod pertinet ad luxuriam.*

*riam, & nunc Dominus serui illius in qua die non sperat, & diuidet eum, scilicet à societate bonorum, & partem eius ponet cum hypocritis, scilicet in inferno.*

Ex his facile colligi potest, vtrum liceat Episcopis thesaurizare, vel multam familiam famulorum alere; vel in ludis, & conuiujs, & venationibus pecuniam perdere, aut in extruendis, vel ornandis palatijs, & hortis, more Regum thesauros Ecclesiæ insumere. In hanc rem *Caëtanus his verbis in 2. 2. D. Thoma quest. 185. art. 7.*

*Dixi alteram conditionem, quia altera iam dicta erat, scilicet quod non det de debitis alijs, sed de deputatis vsui Episcopi. Nam de debitis Ecclesia aut pauperibus non potest nisi sicut uni alteri pauperi distribuenda dare, sed de suo deputatis vsui potest pro suo libito dare. In Respon. ad 3. Vide quod Clericus seu Episcopus quantumcumque habeat patrimonialia, potest de ecclesiastica præbenda viuere, nisi in articulo necessitatis &c. In quæ tamen etiam si peccaret viuendo de sua præbenda, non tenetur tamen ad restitutionem, quia peccatum consistet in abusu quo non subueniret alijs*



alijs quando subueniendum est. Libertas autē à restitutione consurgeret, eo quod præbenda se habet ut proprium Clerici vel Episcopi bonum.

In respon. ad 4. videte qui augendis Ecclesiarū prouentibus tā laudabiliter creditis vos vacare, in hęcetibus pauperibus. Quotnam non a rescentibus! quoniam peccatis iuxta authoris sententiam, tot pauperes puellas nobiles, tot pauperes ciues, pupillos, orphanos viduasque posthabendo.

Et Dom nic. Soto lib. 1. de lust & lute, qu. 4. Art. 4. sic habet.

Episcopi exuere non debent aniquā illā Ecclesia pulchritudinē qua in subsidio pauperū elucebat, nimirū quando Apostoli Diaconorum ministerio tā impensē viduas, orphanorū, indigentiumque curā gerebant. Neque vero debēt prorsus de memoria uelere Ecclesiasticos fructus spirituales esse, gratiāque diuini cultus & peculiariter in honorē Christi expensos, cui tā coram suis pauperes sua familia cōmendam, ac potissimū pastoribus quibus illā fidēter cōmissi. Tertio accedit huc quod capat ipsum præcepti misericordia, nepe rerū redundantiā & superfluitas cæteris paribus multo maior est aut esse dehet in Episcopis quā in sæcularibus. Primum enim frugalius viuere debent, multoq; cū minorū pōpā quā diuites huius mūdi. Neq; conuiuorū

splendor aut lautities illis est licita, neq; alius domesticus apparatus. Nā ut ait Hieron. De altari illis viuere fas est, nō luxuriari. Præterea cū vxoribus careāt, eximio inde sumptu eripiuntur quo mariti premūtur. Atq; adeo cū neq; proles habeant quibus debeāt maioricatus iustituere, aut aliter in perpeuū prouidere, nō alios debēt habere filios quā pauperes, neq; consanguineis aliter prouidere quā pauperibus. Haud. n. his debet erogare quibus sua sufficiūt, ut habetur c. Pastor Eccl. 12. q. 1.

Ad has octo Controuersias planē dijudicādas, & conscientia bonā & rectā cōstituentā, & spē vitæ æternæ verē acquirēdā, plurimū prodest vitas sanctorū Episcoporū assiduē legere: inter quas nō ultimo loco ponēda est vita S. Caroli Cardinalis & Episcopi Mediolanēsis, qui nostro sæculo vixit, & oēs partes optimi Anctus, siue in residēdo siue in prædicādo, siue in vitæ perfectione, siue in matura ordinatione Clericorū, siue in beneficiorū multiplicitate referēda atq; à se abiectēda, siue in libertate Ecclesie prudenter & fortiter cōseruāda, siue in affectu erga cōsanguineos moderādo, siue denique in effusione diuitiarū erga pauperes, & ita admirāda & quasi mirabilia paritate erga seipsū luculenter & mirabiliter adimpleuit.

FINIS.

APPRO



APPROBATIO.

**N**os subscripti in sacra Theologia Facultate Parisi Doctores recensuimus libellum Roberti Bellarmini sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, cui titulus est: Amonitio ad Episcopum Theuensensem nepotem suum: Quæ necessaria sint Episcopo qui salutem suam æternam in tuum velit ponere: in quo nihil discrepans Fide Catholica Apostolica & Romana reperimus. Datum Parisiis die 10. Kalend. Septemb. anno Domini. 1618.

A. SOTO.

M. COLIN.

~~24.405~~

H-58800



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ І. І. МЕЧНИКОВА



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ І. І. МЕЧНИКОВА







НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА